Klein Grant

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE MEDULLÆ SPINALIS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE MEDULLÆ SPINALIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

KLEIN GRANT,

Anglus,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS HUNTERIANÆ NUPER PRÆSES ANNUUS.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

VIRO EGREGIO

DAVIDI MACLAGAN, M. D.

AD MAJESTATIS BRITANNICÆ

COPIAS MEDICO,

&c. &c.

HOCCE OPUSCULUM,

INSCRIBIT AUCTOR

GRATUS OB PRÆCEPTA, CONSILIA, BENEFICIA:

NEQUE MINUS

UTI PERITIÆ EJUS IN ARTE MEDENDI

ERUDITIONIS, BONARUMQUE ARTIUM AMORIS,

VIRTUTUM DEMUM MORUMQUE

QUÆ CIVEM, QUÆ HOMINEM INGENUUM,

QUÆ AMICUM DECORANT,

SINCERAM ADMIRATIONEM ET AMOREM

MONUMENTIS LITERARUM SERVANDOS

TRADAT.

VIRO DOCTISSIMO

JOANNI G. TURNER, S. R. E. S.

CHIRURGIÆ AD COLLEGIUM CHIRURGORUM

EDINENSIUM PROFESSORI,

&c. &c. &c.

PRÆCEPTORI NUPER SUO;

VIRO SCIENTIA MEDICA, MORUM COMITATE, INGENII VIRIBUS

INSIGNI:

HÆC DE MEDULLÆ SPINALIS INFLAMMATIONE

OBSERVANTIÆ SUÆ

ET TEMPORIS MEDICINÆ ELEMENTIS

EO AUSPICE DEDICATI

MONUMENTUM

EA, QUA PAR EST REVERENTIA, OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE MEDULLÆ SPINALIS.

Auctore Klein Grant.

Cum omnium morborum natura, et causæ, hodie tam diligenter indagantur, mirandum est vitia Medullæ Spinalis, gravissima licet, nec in universum infrequentia, tantulam sibi medicorum attentionem attraxisse, ut multa eorum vel in systematibus nosologorum, utcunque diligentium, locum non obtinuerint. In insula nostra, præsertim, tota fere neglecta sunt ; nec

ulla negligentiæ causa videtur, nisi situs organi inaccessus, qui facilem inspectionem in cadavere negat. Multa tamen, et perutilia, in libris medicorum sparsim palantur, atque nonnullæ dissertationes eximiæ animos hominum ad hanc rem nuper convertere, quasique fundamenta futuræ investigationis posuere.

Quoniam pleræque hujus, ut omnium partium, læsiones organicæ, ex variis inflammationis vestigiis oriuntur, de ea, et eventis suis, quam brevissime, est mihi in animo tractare.

Inflammatio medullæ spinalis formam vel acutam, vel diuturnam, induit; de his autem, utpote speciebus tantum ejusdem affectionis diversis, non necesse est seorsim disserere.

Morbus non HIPPOCRATI ignotus fuisse videtur, et Pater ille Medicinæ sub nomine Μυελοῦ ὑπερθερμαίνομενου,* et ῥοῦ ἐς τὸν μυελὸν,†

* De Morbis, ii. 5. † De locis in homine, xviii. 8.

de eo scripsisse putatur. A temporibus ejus, auctores varias appellationes imposuere, veluti *rachialgiam,* spinitidem, *myelitidem,* et *notæomyelitidem,* quarum postrema solum veram morbi naturam indicat, sed æquo longior est.

Inflammatio vel membranas, vel medullæ substantiam, sæpius autem utrasque, invadit; sed an hæ affectiones, quum seorsim occurrunt, aliquibus signis peculiaribus distinguantur, non adhuc satis notum; distinctiones inter cerebri, et membranarum circumvolutarum, inflammationem, certe non experientiâ comprobantur; haud, igitur, verisimile est, eas in inflammatione medullæ spinalis valere.

Morbus sæpe phrenitidem comitem habet, vel a cerebro ad medullam spinalem extenditur; animadvertit etiam PORTALLUS, vitia multo faciliora a cerebro ad medullam, quam ab hac ad cerebrum, extendi.*

* Cours d'Anatomie Medicale, tom. iv. p. 113.

Multis exemplis, medulla solum inflammatione corripitur.

In nonnullis morbis, hæc inflammatio affectionem symptomaticam se ostendere solet. In corporibus eorum, qui febri succubuêre, haud infrequenter observatur; et satis probabile est, ut olim BALLONIO visum, dolorem lumborum, quo febricitantes fere omnes vexantur, ex inferioris medullæ portionis inflammatione, plus minusve acuta, dependere.

Eadem pars aliquando in mortuis ex tetano vel hydrophobia inflammata videtur. Tetanus etiam sæpissime signum se præbet medullæ spinalis inflammatæ; nec raro, in eodem morbo, signa valde hydrophobiæ similia, occurrunt. Sed nullam connexionem necessariam esse inter has affectiones, dissectionibus numerosis tetanicorum et hydrophobicorum probatum est, quibus nulla inflammationis, vel alius morbi vestigia detecta sunt, pluribusque medullæ inflammatæ exemplis, ubi nulla urgent tetani, vel hydrophobiæ signa.

Non desunt, qui medullam spinalem in his morbis semper inflammatam velint; sed medicis plerisque, aspectus hujus organi minime familiaris est; quid igitur inter detecta sit naturale, quid morbosum, semper caute dici oportet. Hac de re, Dominus J. SHAW observationem, multa dignam attentione protulit.

"In consequence of the difficulty of opening the spinal canal, we are frequently unable to ascertain positively, whether the parts within are diseased or not. Of late years it has been a common opinion, that the spinal marrow is violently inflamed in cases of tetanus; but I suspect that in the greater number of the cases which have been related, the appearance produced by the gravitation of the blood after death, has been mistaken for inflammation; and this I have been more convinced of, since I lately, with a view to ascertain the truth of this, examined the body of a man who had died of tetanus. Immediately on the death of the patient, I got the body laid on the belly, in-

stead of the common position; upon opening the spine, there was no appearance of that loaded state of the vessels on the posterior column, which has been considered as a proof of the previous existence of inflammation of the spinal marrow; but the anterior portion, which in this case had been the most depending part, while the blood was gravitating, was covered with a congeries of distended vessels."*

Multa, et haud quidem aspernanda, de conditione medullæ spinalis in nonnullis morbis nervosis, et spasmodicis, ab auctoribus conjecta sunt; sed fuse de his dicere, nos longe a re abstraheret.

Medici antiqui nonnullas de hac re opiniones concepere; sic Galenus, de paralysi loquens, inquit, " Cum ex anatome didiceris, nervos, qui per faciei partes sparsi sunt, a cerebro dimitti, si earum aliqua simul cum toto corpore

* Manual of Anatomy, 2d ed. p. 201.

soluta est, haudquaquam vos latere debet, resolutionis dispositionem in ipso cerebro consistere; ubi vero illæsæ permanserint, spinalis medullæ initium affici sciendum est."*

ALEXANDER TRALLIANUS, etiam discipulus GALENI, perhibet paralysin artuum ex cerebro affecto, tantum comitante partium superiorum, veluti oculorum, nasi, linguæ, aut quarundam in facie solutione, dependere: Membris autem solum implicatis, medullam spinalem morbi originem esse.†

HOFFMANNUS epilepsiam cerebri, convulsiones autem medullæ spinalis, membranarum affectioni adscripsit; nonnulli recentiorum contra, epilepsiæ etiam sedem in medulla spinali posuere. LUDWIGIUS rationem multorum hypochondriasis, et hysteriæ signorum, in irritatione ad nervorum intercostalium origines quæsivit. LIEUTAUDIUS omnes morbos convulsivos,

---

* De Loc. Affect. c. x. † De Arte Medica, lib. i. c. xvi.

quibus loquela non afficitur, in vitia medullæ spinalis niti existimavit. Docet FRANKIUS dyspnæam sæpe ex irritatione originum nervorum phrenicorum dependere. Morbus, denique, colica pictonum, ab aliquibus scriptoribus, inter quos præcipui ASTRUCIUS, et SAUVAGESIUS, ad spinalis medullæ inflammationem, sub *rachialgiæ* nomine, relatus est.

Medulla spinalis, procul dubio, motus voluntarii quasi magnum centrum videtur; hujus igitur functionis perturbatio aliqua attentionem sponte ad eam convertit; et certe, læsiones ejus organicæ causas paralysis, et morborum convulsivorum, sæpissime sepræbuere; sed multis exemplis, hæ affectiones non ex structura mutata, sed ex functionibus læsis, dependent, nec aliquid de iis penitus cognoscere possumus, donec munera generis nervosi, adhuc caligine obducta, in aperto patuerint.

Medullæ spinalis inflammationi nullus sexus, ætasve, præ aliis, obnoxius videtur.

SIGNA.

Morbus dolore, plus minusve acuto, aliquando se per totam spinæ longitudinem extendente, sed frequenter regioni cervicis, dorsi, vel lumborum relato, distinguitur; omni flexione, vel motu corporis, multum augetur, et a nonnullis scriptoribus pressione externa aggravari dicitur; alii vero hoc negant. Dolor ab origine nervorum spinalium lancinat, et cum pars medullæ inferior afficitur, per cursum nervi sciatici extenditur. Multis exemplis ex parte, vel omnino, se remittere solet. Æger de dolore epigastrii acuto, interdum per totum abdomen extendente, et pressione aucto, conqueritur; diversæ etiam corporis superficiei partes dolore afficiuntur, et homo tactus se retrahit. Cordis palpitationes, et circa præcordia gravitas, cum spirandi difficultate, nunc constante, nunc se remittente, et dolores intestinorum urgent. Pulsus plerumque frequens, parvus, et durus, aliquando plenus, vel lentus et debilis. Frankius dicit febrem pro rebus contingentibus

diversam esse: de inflammatione tum cerebri, tum medullæ spinalis, his utitur verbis.

"Sed hæc ipsa inflammatio, ut aliæ faciunt, nunc vera est, et cum febre inflammatoria incedit; nunc vero spuria, vel erysipelacea, magis observatur, ac tunc facile cum nervosa conjungitur, malignamque nanciscitur naturam, aut ad gastricarum revocanda est indolem."*

Sed quomodo inter se distinguantur inflammatio cerebri, vel medullæ spinalis, erysipelacea, et phlegmonoidea auctor eximius non demonstravit, nec facile, ut puto, demonstrare posset.

Sensorii functiones plerumque parum turbantur; coma, tamen, sæpe, finem versus, accedit. Portallus ait delirium in hoc morbo, semper ex inflammatione ad cerebrum extensa, dependere.†

---

* De Curand. Hominum Morbis, lib. ii. p. 51.

† Cours d'Anatomie Med. tom. iv. p. 113.

Præter hæc, alia signa urgent, e generis nervosi turbatione orientes; hujusmodi sunt spasmi musculorum dorsi, qui aliquando adeo sunt violenti, ut verum opisthotonon constituant.

Musculi ad devorandum parati, spasmis, iis qui in hydrophobia occurrunt similibus, interdum afficiuntur; trismus etiam haud raro accedit, et signa nonnullis exemplis ita conjuncta sunt, ut morbus tetani speciem omnino induat; notanda tamen hæc differentia; alvum in medullæ spinalis inflammatione facile plerumque solutam teneri, sed in vero tetano, semper fere pertinaciter adstrictam esse.

Quanquam contractiones convulsivæ tetanum plerumque referant, sæpe tamen magis choreæ affines sunt, et in exemplo a Domino Carolo Bell narrato, maxilla, per duodecimam horæ partem, succussionibus vehementibus agitabatur.*

* Quarterly Report of Cases in Surgery.

Ad hæc adjiciuntur spasmi musculorum faciei, ad alterum latus contorquentes, linguæ similis affectio, imperio ejus simul amisso, quo æger lente et hæsitanter verba profert, vel loquelam omnino perdit. Vox amissa, oculi fixi, subsultus tendinum, motusque musculorum abnormis, adeo ut homo nec manum contrahere, nec aliquid firme ad os pervehere potest.

Membra quædam paralysi, plus minusve absoluta, afficiuntur: vel torpor, aut formicatio sentitur.

Auctor capitis de " Moelle Epiniere" in Bibleotheca Scientiarum Medicinalium,* observationem de paralysi in hoc morbo admodum singularem fecit.

" On auroit tort," inquit ille, " de croire cependant, que la paralysie ait lieu par une veritable impuissance; c'est seulement parceque la

* Gallice, la Dictionnaire des Sciences Medicales.

violence des douleurs est telle, que la malade est forcé de rester dans l'inaction la plus complete."

Sed hæc opinio certe minime est accurata, et ab omnium auctorum sententiis longe discrepat.

Digitorum, aliarumve partium tactus sæpe aboletur, et hujus sensus corrupti singulare a Doctore Olivier memoratur exemplum, quo aqua frigida membris applicata sensationem caloris excitavit.*

Hemiplegia, cum accedit, corporis latus portioni medullæ morbosæ respondens, plerumque adoritur ; sed exemplum contrarium recordatur Portallus, quo ægra sinistri lateris paralysi affecta, incisio cadaveris dextram medullæ portionem remollitam ostendit.

Alterum tantum corporis latus interdum ini-

---

* De la Moelle Epiniere et de ses Maladies, p. 346.

tio afficitur, sed progrediente morbo, alterum etiam, extendente sese inflammatione, implicatur.

Ab experimentis de functionibus medullæ spinalis a Carolo Bell, et Magendio institutis, expectari posset, inflammatione partem anteriorem invadente, motum, partem vero posteriorem, sensationem, amitti ; et certe unum a Doctore Olivier narratur exemplum, partis anterioris remollitæ, ubi motus, sensu retento, abolitus est.*

Præter signa ad genus nervosum præcipue revocanda, alia, ex muneribus organorum læsis veluti vomitus, urina et fæces sponte decedentes, diarrhœa, et tenesmus, necnon aliquando dysuria, et priapismus, ægrum vexare solent.

Sed non ducendum est omnia signa jam dicta, semper se ostendere, nullius enim vitii signa minus regularia sunt ; ita vel dolor,

---

* Op. Citat. p. 334.

inflammationis indicium omnium fortasse minime mutabile, in forma hujus vitii diuturna, fere, aliquando, si non omnino, deficit; et in exemplo acuto ab Oliviero memorato, dolor non in spina, sed in capite, situs est, signaque omnia morbum in cerebro esse indicavere, incisio tamen cadaveris, cerebrum sanum, et medullæ spinalis portionem cervicalem morbosam esse demonstravit.*

Nec convulsiones semper urgent: in exemplo valde acuto, a Doctore Abercrombie memoriæ tradito, dolor intolerabilis, sed nec convulsiones, nec paralysis adfuere.†

Signa, secundum portionem medullæ affectam, quodammodo variantur: quum inflammatio initium ejus adoritur, trismus, loquela amissa, et pharyngis convulsiones, præcipue urgent; secundum Doctorem Olivier, cum morbus tuber annulare et partes cerebri vici-

---

* Op. Citat. p. 327.

† Edinburgh Med. and Surg. Journal, vol. xiv.

nas aggreditur, delirium ferox, loquela omnino amissa, et paralysis universalis, sequentibus asphyxia et morte, accedunt.* Cum pars cervicalis implicatur, musculi colli posterioris, et artuum superiorum, necnon musculi respirationis externi, præcipue afficiuntur.

Inflammatione partem dorsalem adoriente, musculi dorsales, et intercostales, maxime implicantur; et in regione lumborum, morbus, excretione urinæ et fæcum non voluntaria, crurumque affectione, indicatur. Dominus Janson, tamen, dat exemplum medullæ in regione lumborum remollitæ, nulla artuum, vesicæ, aut recti affectione comitante;† et, licet quædam organa, magis aliis, secundum inflammationis sedem plerumque turbentur, res non semper ita se habet, nec indicia omnibus exemplis veram morbi sedem designant.

Juvenis mentionem fecit Galenus, cui,

---

* Op. Citat. p. 350.

† Janson ab Oliviero, Citat. p. 339.

inflammatione medullæ in regione lumborum afflicto, motus crurum, et vox amissæ sunt, sed resoluta inflammatione, rediere.*

Forma hujus morbi acuta, ni tempestive remediis validis intercepta, paucis plerumque diebus, veluti tertio, vel quarto, morte finitur; sed sæpe longius perdurat, et interdum formam chronicam induere observata est.

Morbum chronicum frequenter dolor lenis comitatur, et membrorum affectio paralytica, urina et fæces sponte decidentes, totiusque corporis extenuatio, præcipua ejus sunt indicia. Hæc species interdum per plures menses producitur, et REYDELLETIUS auctor est, se, morbum per duos menses continuatum, resolvi vidisse.†

FRANKIUS pus aliquando in cavo vertebrali

---

* De Loc. Affect. c. vi.

† Dictionnaire des Sciences Medicales, art. Moelle Epiniere.

per longum tempus retentum, substantiam denique osseam corrodere, testatur.

"In ipso spinæ cavo, medullarem substantiam frequenter abscessus consumunt, et quemadmodum tardior latitantis hac in specu materiæ lethalitas observatur, sic acris et corrupta sanies osseam vertebrarum substantiam hinc inde corrodit, ac spinam inflectit, aut pressione in nervos sua, tum vesicæ urinalis, tum ani crurumque paralyses, gangrænas, mortemque lentam, quidem, sed certam, frequenter inducit."*

CAUSÆ.

Inflammatio medullæ spinalis a vi externa, veluti nisu vehementi, subluxatione, vel ictu spinæ admoto, sæpe excitatur. Interdum ex rachitide originem ducit; et cœli vicissitudines, necnon, secundum auctores, rheumatismum, ery-

---

* De Curand. Hom. Morb. tom. ii. p. 50.

sipelatis aliarumve exanthematum retrocessionem, hæmorrhoidum quoque vel menstruorum suppressionem, pro causis frequentibus agnoscit.* Denique, ut alii morbi, sæpissime sine causa manifesta accedit. Intemperantia generis cujuslibet, aër vitiatus, et omnia quæ vires corporis imminuunt, causæ hujus morbi disponentes habendæ sunt.

DIAGNOSIS.

Inflammatio medullæ spinalis cum tetano, hydrophobia, et fortasse cum rheumatismo, confundi potest.

Aliquid dicere de diagnosi inter hanc affectionem et tetanum, primo protinus intuitu, parum necessarium videatur, quoniam ubi trismus, opisthotonos, et spasmi tonici occurrunt, morbus certe nihil aliud est quam tetanus ipse; verum enimvero, permagni interest num signa

---

* Frank. de Curand. Hom. Morb. tom. iv. p. 50.

tetanica symptomatica, vel primaria sint, reperire ; quia curatio, quæ, cæteris paribus, in vero tetano efficacissima videtur, opiata nimirum, et stimulantia, in hac vel alia aliqua inflammatione, omnium perniciosissima foret, nec veri est absimile, nonnulla tetani exempla sanguinis missione sanata, tantum medullæ spinalis inflammatæ symptomatica fuisse. Dolor spinæ acutus, paralysis, febris, et alvus soluta, cum diversa nunc morbi accessione, inflammationem medullæ spinalis a tetano satis plerumque distinguunt.

Sed dixi morbum cum hydrophobia confundi posse ; et si hominem a cane hydrophobiæ suspecto morsum, alia aliqua causa cum inflammatione medullæ portionis cervicalis affici nobis fingamus, comitantibus, ut sæpe fit, spasmis pharyngis, et convulsionibus universis, difficillimum, ut mihi videtur, si non omnino impossibile, dictu foret, utro morbo æger implicaretur ; trismus tamen, qui sæpissime medullæ in cervice inflammationem, rarissime vero hydrophobiam, comitatur, opisthotonos,

febris, et alia signa peculiaria jampridem recensita, naturam morbi veram fortasse distinguere possent.

Inflammatio medullæ spinalis cum rheumatismo etiam, et præcipue cum lumbagine, confundetur, sed paralysis, virium jactura multo gravior, et signa nervosa, quorum unum, alterumve, semper fere adesse solet, vix medici animum falli sinunt.

PROGNOSIS.

Morbus, sive acutus, sive diuturnus, semper periculosissimus est; si tamen tempestive detectus sit, et remedia valida fortiter applicentur, spes exitus fausti effulget.

Sic affecti morbo recidivo valde obnoxii sunt, et convalescentes, attentius servari debent.

INCISIO CADAVERIS.

Secto post mortem corpore, medulla spinalis vel membranæ ei circumvolutæ, præter solitum vasculis plenæ, hæ quidem crassiores, et opacæ, videntur. Interdum nullus vasculorum auctus, sed solum effusio seri, aut sanguinis, intra tunicam arachnoidem vel inter duram matrem, et ossa spinæ, observatur.

Nonnulli pathologi, quia vasa tunicæ arachnoidis non adhuc clare demonstrata sunt, an illa unquam inflammetur, dubitavere, et auctor est Olivier, se speciem inflammationis hujus membranæ vidisse, ex pia matre plus solito vasculis plena, et per telam ejus pellucidam nitente, dependere.

Serum, cum pure, aut flocculis lymphæ permistum, inter arachnoidem et piam matrem invenitur, et ecchymoses sub membranam arachnoidem, atque impletio substantiæ cellulosæ duram matrem ad ossa nectentis, aliquando

sese ostendunt. Materia gelatinosa interdum inter ossa et membranas effunditur; quin membrana arachnoides per spatium aliquod materia albuminosa contegi observata est.

Labores autem meritissimi viri Francisci Magendii verisimile effecerunt, ut cavitas illa duræ vertebrarum matri, piæque medullæ matri, interjecta, humore semper seroso turgeat, etiam in homine sanissimo.*

Ipsa medullæ substantia morbi vestigia, iis quæ in cerebro inveniuntur fere similia, ostendit; qualia sunt numerus vasculorum auctus, totius vel aliquarum partium medullæ remollitio, nunc ad superficiem relata, nunc totam crassitudinem implicans. Corpus medullæ interdum in situ remollitionis augetur. Tota medulla in materiam puri similem dissoluta est, et eadem, qua cerebrum, gangræna quandoque corripitur.† Plus minusve indurata etiam,

* Journal de Physiol. tom. v. p. 27.

† Portal. Cours d'Anatomie, Med. tom. iv. p. 69.

vel cartilaginosa, corpore ejus simul evidenter aucto, invenitur.

Observatum est indurationem nusquam acutam, at semper longam inflammationem sequi; remollitio etiam, plerumque, sed non semper, formam morbi diuturnam comitatur.*

Hæc omnia frequentius in regione lumborum et cervicis, quam dorsi, observantur; quod, verisimile est, ex majore in his partibus substantiæ cineritiæ proportione, et majore inde vasculorum numero, pendet.

In exemplo inflammationis medullæ ex injuria ortæ, cartilago intervertebralis postremas inter cervicis primasque dorsi vertebras destructa, et materia purulenta inter musculos effusa, a Domino Carolo Bell inventæ sunt.†

---

* Olivier, Op. Cit. p. 325.

† Quarterly Report of Cases in Surgery.

CURATIO.

Hic morbus periculosissimus, ut alii ejusdem generis, remediis valentissimis, tamen admodum simplicibus, propulsandus est.

Primo initio morbi, sanguis ad animi defectionem e brachio mittendus est, et ni dolor aliaque signa molesta ita omnino removeantur, sanguis iterum, iterumque, prout res postulet, detrahendus, vel hirudines plures aut cucurbitulæ, ad spinam admovendæ sunt.

Purgantia etiam, nisi diarrhœa urgeat, non omittenda.

Balneum calidum, utpote tum inflammationem, tum actionem spasmodicam resolvens, in hac affectione utilissimum est : REYDEL-

LETIUS valde huic remedio insistit, et vel omnium efficacissimum putat.

Vesicatoria multum prosunt, sed non incipiente morbo applicari oportet, quia hirudines, et cucurbitulas, remedia fortasse validiora, non una adhiberi sinunt.

Antispasmodica minime efficacia sunt, quia causa tantum sublata, spasmi resolventur.

Opium, et præsertim camphora, dum signa inflammationis acutæ persistunt, utpote corporis incitationem multum intendentia, semper caute evitanda sunt.

Vix necessarium dicere videtur tenuem victum, quietem, et omnia quæ actiones corporis inordinatas imminuunt, enixe præcipi oportere.

Morbus diuturnus magis fortasse acuto periculosus, et minus medicamentis tractabilis est.

In hoc etiam, venæsectio, et hirudines remedia valida sunt; multo magis autem quam in acuto, conveniunt ea, quæ irritationem in partibus externis excitant, et vesicatoria repetita, fonticuli, setacea, et moxa, auxilia sunt quibus magna ex parte curatio inniti debet.

FINIS.